

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Exercitatio theologica de fragrantia Christi quam ex 2.
epist. ad Corinth. 2, 15.16**

**Buddeus, Johann Franz
Naumann, Tobias Gottfr.**

Ienae, 1712

VD18 11426357-001

§. VII.

[urn:nbn:de:bsz:31-130634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130634)

dus operandi, adeo, ut, ἐνέργειαν quam illu-
 minando, conuertendo, & sanctificando ex-
 ferit in hominum animis, admirari magis quam
 penetrare possimus. Egrege admodum hac
 de re B. HVNNIVS loquitur: * *Admini-
 strant Doctores & Pastores euangeliorum, euan-
 gelium, ut fiat oblatio auditorum suorum acce-
 ptabilis, sanctificata per Spiritum sanctum. At-
 que sic cedit hominibus ad refectiorem anima-
 rum, dum spiritualiter in peccatis mortui, hoc
 odore euangelii doctrinae viuificantur, dum pec-
 catorum sensu in animi deliquium lapsi recrean-
 tur, efficaci fragrantia promissionum euangeli-
 carum, utpote quae continent verba vitae.*

§. VII. Ratione originis recte euange-
 lium dicitur εὐωδία χριστοῦ. Quemadmodum
 enim aromata odorem fragrantem edere solent,
 ita Christus odorem edit longe fragrantissi-
 mum, euangelium diuinae veritatis & gratiae
 plenum. Quare Iesaias de eo dicit *cap. XI. 3.*
*odorari eius erit in timore Domini; quod prae-
 cipue factum, quando seipsum tanquam sacri-
 ficium DEO obtulit, ut placaret Numen per*
homi-

* in comment. ad h. l.

hominum peccata offensum. Quærent hoc loco interpretes, * vtrum verbum חריח transitivè usurpetur, vt significet *suffire*, an vero significet intransitivè *odorari*, eo sensu: Messias oblectabit se in timore Domini, quasi odore grato; *Er wird seine Lust haben an der Furcht des HErrn* / cui & ipsa Lutheri versio primo intuitu assentire videtur: ast optime hoc explicavit vir beatus. ** SEBASTIANVS SCHMIDIVS, *** qui & Lutherum sequitur, transitivum mavult sensum; quod probat ex *XXX. cap. Exod. 38.* & recte reiicit illorum sententiam, qui per *sentire* vel *cognoscere* illud explicare voluerunt, quibus textus ipse e diametro aduersatur. Totum caput sistit nobis Messiae futuri descriptionem, ratione personae *com. 1. 2.* & officiorum; & officium quidem sacerdotale *com. 3.* per vocem *suffire* innuit. Sacerdotibus enim veteris testamenti, qui Christi erant typi, *suffire* compete-
 bat. Christus melioris foederis sacerdos

F in

* Inter quos locum obtinet Io. Cocceius.

** In *glossa marginali.*

*** In *comment. ad b. l.*

in nouo testamento apparuit, &, quod illi typice ad expiandum populum praestare iusti erant, vt verus sacerdos, sufficienter exhibendum suscepit. Ideo suffire ipsi tribuitur, quod totum ipsius officium mediatorium complectitur, ceu ex epistola ad Ebraeos liquet, cuius auctor dicit: *Christum obtulisse tanquam sacrificia vel thymiamata preces & supplicationes cum clamore valido & lacrymis ad eum, qui poterat seruare ipsum ex morte, & exauditus est ex reuerentia; cap. V. 7.* Ecce sacerdotale officium Seruatori nostro adscriptum.

§. VIII. Eodem sensu de Messia vnguento laetitiae vncto *Psal. XLV. 9.* talia existant verba, quae de humana ipsius natura exerte loquuntur: *סור ואהלוח קציעות כל בגדיו* Vestes humanam Christi naturam, seu corpus eius, quod secundum humanam naturam gessit, significant. Quando ergo Christi vestes aromatibus fragrantissimis compositae, dicuntur, extra dubium odorem ingentem exhalantes; nonne innuitur eius corpus, corporisque organa externa, suo quodlibet genere, agendo, loquendo, mouendoque, dum